Henr. Bassii medic. et chirurg. doctoris obs. anat. med. chirurgicarum decade 3ª. obs. 6ª.

Aponevrosis musculorum tibiam extendentium à patellâ disruptio

§ 1.

Honesta quaedam matrona quadraginta et quod excurrit annorum, nihil de adversâ valetudine suspicans, scalas, quarum gradus erant antiqui et passim fracti, descendens, altero pede, validè extenso, vacillare incipit, quam extensionem subitanea flexura excipiebat, cum strepitûs vel fragoris in genu percepto sensu: Quo facto pedem istum amplius firmare non poterat et nisi arripuisset fulcrum scalarum in-terram decidisset, altâ hinc voce ancillas ad se advocavit, praecipiens ut in conclave deportaretur, lectoque traderetur. hoc peracto statim chirurgum accersi jussit, ut opem afferat pedi aegroto, cui accedenti meticulosè et anxiè infaustae suae valetudinis sortem refert, enixè auxilium petendo. hic manu contrectatum genu, illud subluxatum esse dixit, quare repositionem citò molitus, rotulamque in pristinum suum compellit locum, eandemque debitâ fasciatione obfirmat, sanationem intra sex hebdomadas spondens plenariam. Chirurgi mandato strictè obtemperabat aegra, quieta satis decumbens, spe valetudinis recuperandae pristinae. Elapso deinde tempore, et deligatione solutâ ac remotâ, injunxit matronae chirurgus ut pedi innitaretur gressumque tentaret: ast illa de incedendi impotentiâ conquerens, sustentaculo satis valido uti coacta fuit, inquiens tremulâ voce, ah me miseram! levamen à genu repositione animadverto nullum, malumque adhuc idem in eo statu quo tempore fatalem laesionem accepi, esse sentio. Haec interea de restitutione admodum sollicita, praeter aliorum auxilia ac consilia, et meum implorabat. accessi ac de infortunio accepto satis superque edoctus, obambulare praecepi: illa incedens confestim vel subsistere cogebatur aut praecipitem in terram

lapsum mutabatur, rotulâ elapsum sentenlis sensum percipiens. hoc videns lasum genu, pedemque sæpe manibus palpavi, nunc extendi, nunc inflexi, sine ullo tamen incommodo, ac rotulam in situ suo naturali detentam reperi, unde suspicabar luxationem hîc accidisse nullam, sed longe aliam causam obambulationis esse defectus nempe fracturam. cum autem adhuc dubius hærerem, iterata et exquisitius institutâ disquisitione et contrectatione genu, rotulam figurâ et magnitudine alteræ æqualem deprehendi illæsam et integram, nulloque pacto diffractam, multo minus in frusta diruptam, sed illa tantum vacillabat et prominebat parum, supraque quam hiatum seu foveam digitum excipientem notabam, quæ in opinionem me duxit credendi, annon forte aponevrosis musculorum tibiæ separata esset à patellâ? hâc idcirco exactissime examinatâ, repetitaque integrâ, non aliter concludere potui, quam, quod aponevrosis hæcce satis valida ac robusta ex quatuor tendinibus musculorum tibiam extendentium, ut vasti interni, externi, cruræi et gracilis antici conflata, rupturam passa fuerit, ad pollicis ferme longitudinem. abruptio hujus aponevroseos ita erat comparata, ac si quis illam studiose ac consilio avulsisset: ubi autem probé movendum et tenendum, aponevrosin à rotulâ ac musculorum præfatorum ventribus non omnino fuisse divulsam, sed in singulo latere, ex parte vastis musculis annexam ac continuam: hinc factum etiam est ut ægra pedem quadantenus extendere elevareque valeret.

Communem hancce musculorum tibiam extendentium tendinem seu aponevrosin, insigni crassitie et robore gaudentem, dirrumpi potuisse, fane inaudita res est, quam contigisse haud facile credidissem, nisi hocce inopinato casu longe aliter fuissem edoctus.

legimus equidem apud Experientissimum *Petit* in egregio de *affectibus ossium Tract. part. 2a cap. 16.* hanc rupturam tendinis non semel, sed bis annotatam; attamen hoc cum discrimine, quod illa, exemple in loco, ubi tuberculo tibiæ adhæret, divulsionem sustinuerit, ubi angustior ac rigidior existit. in nostra autem ruptorā supra rotulam ejus latior paululumque mollior pars usque ad ventrem musculorum vastorum tendineam portionem, ipsa ac divisa fuit, qualem rarissimam historiam, nusquam gentium ni fallor, me legisse recordor; de ejus existentiā tamen valdè dubitassem, nisi calamitosum hocce fatum curæ nostræ commissum nobis omne dubium exemisset.

Tendinem praenarratum ipse disruptum longè certius statuere inde possum, dum æger pedem aliquantisper extendere elevareque poterat, rotulaque integra, sed mobilis et deorsum prolabens ac prominens erat, cujus providentiæ sensum æger hisce verbis proferebat dicens es ware ihr, als wenn die Knie-Scheibe wolte heraus fallen. insolitè hujus affectus minime gnarus chirurgus, illum mox pro luxatione, mox fracturā patellæ vendicavit.

cum à me crebrò et enixè efflagitaret matrona, ut suppetias pro infelici malo ferrem, liberè confessus sum, hic parum sanationis spei expectandum esse, praesertim cum jam per octo septimanas durasset malum: disruptæ tendinis enim occalluerat extremitas nullam cum patellā admittentes reunionem ac consolidationem. hinc aperte edixi, ni per primamenta temporis, adhibitā decenti fasciarum injectione discontinuatæ partes rursus conjungerentur, sanatio exspectanda esse nulla. quod etiam confirmat citatus Petit loc. cit. duos de hoc malo casus describens, quorum alteri statim post perpessum infortunium fascia decens injecta fuit, qui per aliquot

septimanas liberatus fuit plenissime, alter vero cui nimis sero chirurgica applicata manus, insanatus abiit.

Persuasissimum igitur mihi habeo, nullum certe, neque me, neque alium quemdam sanationis spem promissurum fore, si modo perpendere velimus vascula ac fibras laesas, elapsas, calloque obsessas, agglutinari minime posse, et si quid praestandum foret, eo potius respiciendum, ut commoda huicque adfectui attemperata machina suffulciretur, qua junctura ambulationisque impotentia quamquam extenso pede, quadantenus per adventitium robur corrigeretur ac restauraretur. Fasciam hinc in Tract. nostro de deligat. apparat. Cap. XII §. 8. descriptam, applicare voluissem, per aliquot tempus acquiescendo et expectando, num aliquid ad reunionem conferret, sed invito plane conatu admota et applicata fuit, quamvis per quatuordecim dies, pars affecta, hâc fasciâ adstricta fuit. Alius quidam in auxilium vocatus chirurgus, affectum hunc pro fracturâ rotulæ agnoscens, ambulationis defectum thrasonicè resarcire studet, incisione cutis ejusque postea cum osse, mediante cicatrice, cohaerentia, qua demissa patella, eo opinante, fulcimento futura esset; verum enim vero, quis chirurgorum est qui non aperte mecum confessurus sit hunc gloriosum insanisse, sibique lascivientis imaginationis phantasmata finxisse? quid enim laxa ac elastica haec membrana infulciendo osse, inque situ detinendo peraget? certe nihil praestabit. nec pseudochirurgi eloquio et operto subscribere possum! tendinis hujus rupturam pro fracturâ vendicantis, hisce inductus phaenomenis 1 rotula ab alterâ parte liberata eandem cum alterius pedis obtinuit figuram et magnitudinem. 2°. aliquatenus pedem extendebat aeger, quod nullo pacto fieri potuisset, si fracturam incurrisset rotula. Ipse itaque

omni sanationis praecisa, infirmo aperte praedixi, se nunquam pedi aegro institeram, multo minus pede eodem incessuram, nisi adhibitis adminiculis, arte effectis, ingressui imbecillo et titubanti subvenientibus, hinc etiam in finem commodam excogitavi machinam excipiendo ac fulciendo genu convenientissimam, ex laminis duobus ferreis, altera longiore ac excavata, planaque, breviore altera, corio obductis, lorisque tribus et fibulis armatis fabrefactam, quam benevole exceptam esse sum expertus.



cn. Basnel a imaginé une plaque de cuir semblable en figure, meilleur quant au choix de la matiere et moins bonne quant aux boucles et courroyes. le cuir sur la jambe de cn. Basnel est excellent

a lamina excavata. b foramen rotulam excipiens. c c c vincula vincula tria. d. d. d. ligulae tres, quibus vincula firmantur, quo machina commode applicari, et accurate detineri possit.

Cum autem delicata et tenerrima hacce ex usu instrumenti pedi aegroti adjuncti, aliquid, quamvis valde exiguum, caperet incommodi, illi rejecto substituit fasciam, quae per sufficientia temporis spatia partique infirmae legitime adhibita, tendo avulsus tandem substantiae cujusdam carneae interjectae beneficio, non tamen eodem loco, unde abruptus, sed laterali parte est adnatus. potest etiam hocce instrumentum applicari, si infirmitas cruris a neglecta rotulae fractae reunione obvenerit.

Epicrisis.

Aponeuroses tibiae ruptura exorta fuit, testante allegata observatione, non a lapsu, ictu, aliave violenta causa, sed solummodo a nimis valida et repentina pedis inter descendendum extensione, namque aegra dum

descenderet scalis, repentinè ac validè porrexit pedem, musculis flexoribus antagonistis adhuc agentibus, genuque flectentibus; cum autem hæ actiones sibi è diametro adversentur et opponantur, non potuit fieri, quin eodem temporis puncto, quo flexores musculi genu flecterent, extensores hujus, priorum vi superiori et majori adhuc perseveranti, cederent, et ita elongati ac relaxati tandem rupturam incurrerent. Vis enim musculorum genu flectentium longe superavit vim musculorum tibiam extendentium, eodem temporis momento, quo illi, sese contrahentium et moventium; unde elucet ratio, quomodo et quare ruptura hæcce necessariò contigerit. accedit hoc, quod infirma amplioris et obesioris corporis fuit, quæ moles ponderosa, femoribus innixa, haud parum huic avulsioni contulit. quemadmodum enim bacillus exsiccatus à violentâ et repentinâ incurvatione facile diffringitur, quod minimè tantâ facilitate eveniret, si successivè inflecteretur. ita etiam aponeurosis hæcce insigni firmitate et robore instructa, non tantâ facilitate disrupta esset, si non tam repentinè et violenter pedem extensum fuisset, musculis flexoribus nondum acquiescentibus. rarissimum citra violentam quandam externam caussam, seu irruentium externorum corporum vim accidere potuisse à solâ fortiori extensione non dubitamus; cum hoc modo Cel. Ruysch advers. Anat. Dec. 2a pag. 5. et obs. Anatom. 13 rotulam fractum fuisse, et Exercitatissimus Petit lib. cit. similiter tendinis præfati à tibiâ rupturam annotaverint. imò admiratione dignum est, quod Dom. Petit de tendine Achillis, totius corporis robustissimo, à talo, cui insertus est, sejuncto et avulso, in saltatore, à solâ extensionis vi, sine ullâ aliâ violenta

externâ causâ, prohibet. Disrupti tendines, si non cito cum osse junguntur, debitâ fasciatione à cit. petit suggestâ, facilè non coalescunt, ob supervenientes callositates reunionem haud permittentes